

Thesium chiriaticarum sylloge VII et ultima, de vesicatoriis ... / [Johann Jakob Schmidlin].

Contributors

Schmidlin, Johann Jakob, active 1679-1680.
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Kernerianus, [1679]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gw3ksmqh>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

THESIUM CHIRIATRICARUM

Sylloge VII. & Ultima,

DE

VE S I C A T O R I I S,

Quam,

DEO Duce & Auspice,

PRÆSIDE

DN. GEORG. BALTHASARE METZGERO,

Med. D ac P. P.

defendere conabitur

JOH-JACOBUS Schmidlin / Synadelfingensis.

Ad diem 9. April.

Horis locoque solitis.

ANNO

M. DC. LXXIX.

Tubingæ,

Literis Kernerianis.

Quadrigæ

*Virorum de Ecclesia Christi meritissimorum, plurimum
Reverendus & Præclarissimis.*

DN. MATTHIÆ HAFENREFFERO,

Megalo-Bot-wariensium,

DN. DAVIDI HAFENREFFERO, Ser-
risheimensium,

DN. M. ZACHARIÆ MARTINIO,
Ensingensium,

DN. M. JOH. CUNRADO ROESLERO,
Dizingensium,

Pastoribus
Vigilantis-
simis, Meriti-
ssimis.

Vt &

V I R O

*Prudentiâ, Experimentiâ & Integritate
Maximè conspicuo*

DN. JOH. LEONHARDO NOLLIO,

Inclytæ Reipubl. Stutgard. Senatori Meritissimo, Dex-
terrismo.

*DNN. Fautoribus, Cognatis atque Affini omni ho-
noris & amoris cultu atatè devenerandis
Primitias hæc Medicas*

In

Submissi ac Devoti animi testimonium,
Debitæ gratitudinis symbolum,

&

Perpetuæ observantiæ monumentum,

Dicit, Offert, Consecrat

Cultor observantissimus

Joh. Jacobus Schmidlin/ Respondens



Σὺν Θεῷ.

THESIS I.

Vacuantium Chirurgicorum agmen claudunt in præsens Φάρμακα ἀφελκῆμνα, *Vesicantia, Vesicatoria* Medicamenta, vetus Medicinæ præsidium, *Hieronymô Mercuriali* teste *l. 5. de febr. c. ult. de peste c. 26.* idemque *Octavianus Roboretus de vesic. in febb.* argumentum contra *Hieron. Cardanum de spir. difficult.* acriter defendit. Ipse hæc *Galenus* dentes dolentibus ad brachium à Veteribus adposita *s. de compos. medic. sec. loc. c. 9. num. 16.* podagricis & arthriticis *Erasiſtrato* usualia *l. c. l. 10. c. 3. num. ult.* annotavit. His colicum *Al. Trallian l. 10. c. 1.* alii alios dolores sedarunt, ut pluribus circa *Usus* constabit. Eâdem, quâ fonticuli, fortunâ verisimiliter per naturam monstrata sunt, nomenque hoc suum effectui, ulcusculis s. vesiculis, ad horum applicationem in summâ cute surgentibus, debent. Amuletorum nomine antiquitûs nonnullis veniebant *s. de compos. pharm. sec. loc. c. 9. n. 16.* *Dioscorides* ἐκδόρμα Ἀγρὶ καὶ τριεῖδων vocat *3. mat. med. 59.* quòd his, & quidem consuetissimè cantharidum in specie ope, partes, ubi apponuntur, cuticulâ suâ exuuntur & quasi excoriantur. Sunt, qui cum sinapismis & phænigmis confundunt, eòdemq; cum his nomine & locò digna censent; indeq; dubio procul distinctio *Herculis Saxonia de phænigm.* inter non exulcerantia & exulcerantia nata fuit. Mitiora verò illa in viribus esse ut plurimum, & primi quasi gradûs ad vesicandum, res ipsa probat; non rarò tamen & hæc exulcerationi sufficiunt,

modò sufficientem in parte moram agant, ut illa fortiora rubificantia subinde fiunt, si debitum ante tempus auferantur.

II. Sunt *instrumenta Medica*, quæ corporis superficiei adplicata causticâ, quâ gaudent, vicuticulam in vesiculas elevant, & quicquid subtus latet, aut huc vocari potest peccaminosi humoris, intra has colligunt ruptisque vesicis exantlant, in variorum morborum præservationem & curationem.

III. Nimis ergò rigidus, imò iniquissimus, ut aliorum præsidiorum Chirurgicorum, ita & Vesicantium censor est *Iohan. Baptista Helmontius*, dum cruoris hæc insontis & virium fures, stulta subsidia circa corporis superficiem, ubi centralia laborant, & obseffa sunt, vocat, summè noxia & à spiritu nequam Moloch excogitata credit *de febr. c. 7.* Cui & similis furfuris pluribus *Gu. Rolfincius* abunde satisfecit *de febr. c. 129.* Nec satis hæc *Philippo Grünlingio* innotuisse videntur, qui memoriæ, præsertim post aures rejecta, insidiari, hancque debilitare scribit *c. 3. curat. Medic. 51.* quam roborare potiùs observationes ubivis extantes fidem faciunt, quicquid de casu sit, quem in asserti sui fidem advocat *c. 5. observ. Med. 59.* Si enim ullibi fallacia non causæ ut causæ frequens committitur, certè in Medicinâ fit, effectumque familiariter causæ huic, quæ alii debetur, tribuimus. An verò culpâ hâc magis ex cantharidibus composita teneantur, quæ ideò *Henricus ab Heer* peste pejus & angue odit *observ. Med. oppidò rar. 90.* eademque *Hier. Fabricius ab Aquap. oper. Chirurg. de ulcer. Petr. Borellus c. 2. hist. & obs. rar. Medico-phys. 58.* suspèctissima reddunt, experimenta aliorum mox adducenda loquantur. Interim, ut in viam redeamus; materiam horum, operationis & administrationis modum, locum, tempus, & denique usum ordine evolvemus.

IV. Quam materiam, simplicia alia, alia composita existunt. Inter illa ignis ipse actualis & hęc imprægnata solida & liquida complura occurrunt, rarioris tamen omnia usûs, propter terrorem, quem vel solô nomine injiciunt, quodque non tam vesicent cutem, quàm adurant. Magis frequentantur potentialiter ignea, causticâ gaudentia virtute, è vegetabilium, mineralium & animalium regnis oriunda. Singulorum nomina & numerum qui desiderant, petant à *Iohann. Costeo de ign. præsid. l. 1. c. 24.* & promptuariis Medicinarum hinc inde obviis. In specie de moxa Japponensium, inter cauteria hodie decantatissima *Hermannus Buschovius tract. pecul. de hac* consulatur. Inter composita ceratum vesicatorium *Prævotij, Laz. Riverij, Gregor. Horstij, Cnöffelianum in fasc. Med. Cnöff. t. 24. ephem. nat. cur. ad. ann. 6. & 7.* pasta vesicatoria *L. Blasii ad Morellum*, nec non plura alia apud *Thomam Willisium rat. pharm. p. 2. f. 3. c. 3.* notata excellunt. Famigeratissimæ tamen omnium hætenus cantharides fuere, sive solitarie adhibitæ sive compositorum ut plurimum basin constituentes, tanquam inter sui similia insecta & vegetabilia vesicatoria reverà præsentiora secundum *Daniel. Ludovici de pharmac. modern. sec. applic. dissert. 1. de diuret. anim.* præsertim extremis ab Indis & ultimâ Iberiâ ad officinas nostras advolantes, quas tamen nec Germania nostra ignorat, magnâque ex salicibus copiâ collectas Hildesheimii anno hujus seculi sexagesimo septimo & felici cum successu in usum vocatas *Ephemerides nat. Curios. ad ann. 4. obs. 186.* referunt. Malè tamen apud plures audiunt non intrinsecè modò sumptæ, quod legere passim est, sed & extrinsecus appositæ multorum criminum reæ & quasi venenatæ traduntur, quòd vesicæ præprimis utinariæ infidientur, hanc inflamment, exulcerent, sanguinis hinc mictum provocent apud *Borellum c. 2. obs. Medico-Phys. rar. observ. 58.* urinæ

ardorem, stranguriam cieant apud *apud Ioh. Nicolaum Binningerum c. 3. obs. 53.* etiam sub leviori dosi vix rubificant. *c. 1. obs. 90.* catarrhos graviores moveant, apud *Conradum Victorem Schneiderum l. 4. catarrh. s. 2. c. 11.* gangrænam inducant apud *L. Riverium c. 2. observ. 86.* non modò locis vesicæ proximis, coxendici, renibus, pubi, testibus admotæ, sed & remotioribus, ut *I. Rhodius* vidit sub applicatione in cruribus *c. 3. observ. med. 88.* notavit *Balthasar Timæus* capiti his instar cucuphæ impositis *l. 7. cas. med. 21. l. 2. epist. med. 5.* imò, quod admirationem meretur, eadem secuta symptomata, cantharidibus vel in bursa solùm gestatis, ex *Paschalio l. c. c. 44.* detentis in manu chirothecâ munitâ, ex *H. ab Heer obs. 9.* videri possunt. Nunquam *V. Sennertus* ab externâ hæc applicatione, quam tamen centies *in instit. l. 5. p. 3. s. 3. c. 38.* imò sexcenties *l. 6. prax. c. de cantharid.* tentâsse testatur, expertus fuit; idemque *Guil. Rondeletius* confitetur *de dignosc. morb. c. 11.* quamvis ventri apposuerit. *Gu. Rolfinccius* inter rariora etiam symptomata hæc numerat, *meth spec. comm. l. 4. s. 7. c. ult. l. 6. s. 2. c. 3.* pluresque, ipsâ omnium rerum arbitrâ experientiâ consentiente, adstipulantur.

V. Interim corrigendi Authores modos varios excogitarunt, dum hi in his, alii in aliis partibus latitare virus suspicati sunt; unde jam, capite, alis & pedibus avulsis ex *Hipp. comm. 4. de victus rat. in acut. t. 123.* solò corpore; jam hòc abjectò, illis solis, ex *Dioscoride 2. de re med. 53.* utebantur; jam integras pharmacis miscebant ex *Galeno 2. de antidot. l. 7. 11. de simpl. med. facult.* Sed cùm internam hæc exhibitionem præcipuè spectent, silentiò transimus: sique simile quid in externâ etiam applicatione notatu factuque opus videbitur, *Th. Bartholinus*, ubi cutis exulceranda venit, ut acuatur virtus, extrema, quæ malefici virûs alexipharmacum creduntur, contrà tamen *H. ab Heer*

Heer obf. fpadan. 9. abjicienda cenſet *c. 4. epift. med. 54.* Verùm fit modus in rebus, ita ſuo cantharides officio rectè fungentur, nec auctâ nimis doſi, nec ex conſilio *Galenii*, niſi corrigentibus, ſtimulantibus nuptæ *3. ſimpl. med. 23.* adplicentur, nec diu nimis, ne cutem ipſam adoriantur cum variorum ſatellitio ſymptomatum, parti relinquantur, ita vel nunquam vel rarò noxam dabunt *ex Autor. cit.* & facilè, ſi accidit, corrigibilem ex *Capivacciol. 3. prax. c. 19.* Formularum paradigmata præter cit. Autores *Hildanus, Prævotius, Mynſichtus, Claudinus, Willisius* ſuppeditant uberrima; Hæc tamen cum *Willisio* quò ſimpliciora eò meliora credimus: unde nudas nonnulli cantharides contuſas ſolùm, & aceto aſperſas, ſacculòque ſericeò rariffimò incluſas apponunt; alii flammulam Jovis contundunt & apponunt, alii batrachium ſive ranunculum; quibus poſterioribus tamen temerè utendum non eſſe ob metum graviffimorum ſymptomatum aliquando ſecutorum *Willisius* monet: nos alii ita bulbum contuſum & digito annulari impoſitum feliciter novimus.

VI. Vim, quâ operantur, *cauſticam* diximus. *Rolfinccius l. c. l. 2. ſ. 3. c. 11.* occultum ignem vocat, quẽ nemo videt nec ſentit eſſentialiter, operatione ſolâ in exterioribus perceptibilem. *Galenici* vim acrem, mordacem, calidam, tantùm non igneam appellant. *Chimici* & acre, quod hîc operatur, volatile accuſant, hocque in cantharidibus præcipuè acerrimum *Wedelius* ſtatuit *c. 3. de ſale volat. in animal.* *Carteſius* diverſis atomis inæqualiter figuratis, triangularibus, quadrangularibus, & id genus aliis tribuit. Ut ut ſit de nominibus, in re conveniunt omnes, aluntque dubio procul Veſicantia acres, calidas & tantùm non igneas penetrantes particulas, haſque calore partis actuatora à ſe diffundunt, quæ cuticulam inter & cutem, ſine continui ſolutione, receptæ, non modò, quod ſubeſt, loco

cô movent , sed & naturali , quô ferruminantur quasi glutine absumtô , harum à se invicem secessionem parant , unde vasa ad cutem euntia , operculô extremitatum detractô , humiditates varias magnâ sæpè copiâ sudant expuuntque , quæ sub cuticulâ penetratu difficili restagnantes , hanc à cute jamdum sequestratam de facili attollunt , & in vesiculas manifestas extendunt , ruptisque his rivulum , quamdiu vasa hæc cutanea denudata escharâ aut cuticulâ destituuntur , continuum suppeditant . Porro particulas has acriores salino-volatiles in massam etiam sanguineam suscipi , hujusq; compage solutâ , laticem omnis generis vitiosum ut magnâ ad vesicatum locum copiâ confluat , irritare , nonnunquam ad virium usque exolutionem , non rarò etiam cum sanguine circulari , & hinc inde , quas lambunt , partes aculeis suis mordacibus diversimodè offendere , experientia non una testatur ; potissimum verò in renes & vesicam sui jam juris factæ & à sanguine sequestratæ , quod dum sanguini adhuc commistæ erant , non audebant , debacchantur , & symptomata suprâ recensita inferunt , quæ sine necessitate à peculiari in has partes ἀντιπαραδεία fieri finguntur : adde *Willisium p. 2. pharm. rat. c. 3. Fr. Osvaldus Grembsius* Archæum hæc segnem nimis ad virus superandum & non insurgentem ad pugnandum excitare & ad resistendum impellere autumat *arbor. integr. & ruinos. hom. l. 2. de febr. nat. c. 2. §. 86. Wedelius* eundem irritare acutis particulis cuti infixis dicit , ut humores advocet , qui hinc funduntur , poris dilatatis magis illabuntur & colliguntur . *l. 1. de facult. medic. s. 2. c. 6.* qui verbis quidem & ore à prioribus dissentiunt , re tamen , ut nobis videtur , & mente , si sanè explicentur , consentiunt .

VII. Calore autem partis naturali actuari Vesicatoria , notanter diximus ; unde hoc extincto in cadavere , vel sub languescentibus valdè viribus plus justo debilitato , mi-

rum non est & horum vires & virtutem omnem simul expirare, nihilque hîc potestatis aut juris exercere posse. vide *Helmontium de lithias. cap. 9. n. 103. Ignotus hosp. morb. §. 76. Christ. Fridericum Garmannum de mirac. mort. l. 1. §. 7. c. 38.*

VIII. Sequitur *adplicandi modus*. Ignis actualis, & hîc imbuta alia applicatu facilia sunt; Aduſtionem moxâ Chinenſi peragendam *Hermannus Buſſchovius tr. cit. part. poſt. c. 5. 6. & ex hoc Ephemerides nat. cur. ad annum 6. & 7. obſerv. 218. & 224.* monſtrant. Urendi ratio hæc haud aliena ab antiqua illa *Hippocratis* & communiffimâ per fungos uſtione videtur, cujus *de intern. affect.* mentio fit, eandemq; in Ægypto adhuc celebrari cum goſſypio & petia linea ignita *P. Alpinus l. 3. de medic. Ægypt. c. 12.* teſtis eſt. Novum, quod ſuum jaçtat, veſicandi inventum *Heinr. ab Heer obſerv. 21.* habet: lati orificii vitrum humilius, quô vinum bibimus, (vices hujus tueri cucurbitula poſteſt) ſtuppâ ardente repletum extremæ cuti applicatur; horæ quadrante elapſo detrahitur, iterumque multâ cum flammâ apponitur: paulò poſt veſicæ parvæ ſurgunt, quibus ſenſim in unam coëuntibus inâtrâ horæ ſpatium maxima oritur ori vitri æqualis. Verùm, ut jam monuimus, ob terrorem, quem ignis actualis incutit, ob pericula, ne ultrâ cuticulam ſæviat, præſertim cûm eodem temporis intervallo cantharides fermento liberaliter miſtæ & adſperſæ ſuam operationem, ſponſore *Rolſinccio l. c.* abſolvant, modus hic non adeò celebratus eſt.

IX. Quà verò potentialium applicationem, veteres noſtratibus longè cautiores videas, qui deſenſivis partes vicinas priùs muniebant, quàm veſicatoriũ admovebant, cantharidum præſertim ubi metuenda venenofitas erat. Utut autem hæc nos ſollicitudo non adeò tangat aut angat ex ſu-

per. cautioni tamen huic locum non ubique denegamus: præcipuè verò locus fricetur antè pannis siccis & asperis, ut incalascat paulò porisque referatis feliciùs medicamenti virtus transeat, lavetur, ne unctuosi quid habeat, quod medicamenti vim obtundat, pòst massa super linteum aut corium ad formam rotundam thaleri aut coronati argentei secundùm *Claudinum*, vel ovalem secundùm *Mercurialem* ducta parti imponitur, quæ pro cutis mollitie aut duritie, medicamenti segnitie aut bonitate jam paucarum jam plurium spaciò horarum, & ferè 4. 6. aut 8. operationem absolvit. Ultra verò hoc temporis spacium vix sine metu sanguinis infectionis & præcimatorum symptomatum, præsertim ex cantharidibus confecta, *Th. Minadoo* monente, relinquenda. *Willisus* tamen ad 12. imò 20. horas applicationem extendit; *Mercurialis* 24. horas indulget. Quà formam primas ceratis & emplastris concedimus, ob faciliorem applicationem & hinc fluentem operationem feliciorem. Sunt tamen qui cataplasmata, linimenta, unguenta, &c. commendant. Excitata ita vesica perforanda venit, quod subinde spontè fit, nonnunquam manu, filo acutà trajectà rumpenda, forfice incidenda, proque indicantis urgentiâ aperta aliquamdiu tenenda, quod à pharmacis siccationem & cuticulæ generationem prohibentibus, ora vasorum referantibus, & materiæ fluxum promoventibus, facile impetramus: folia brassicæ s. caulium recenti illita butyro nitrosâ vi suâ hætenus tantùm non omnibus se commendarunt; *Capivaccius* folia hederæ arboreæ, vitis, cum butyro substituit, *l. 3. pr. c. 19. Heinebr.* ab Heer crudam macri bovis carnem adponit, usque dum foeteat, *observ. 21.* Alii ficus admovent. Ita purgatio ad triduum aut quadriduum ut plurimum perennat. Ex usu tamen non rarò est, diutiùs fontem hunc sollicitare, quod *Capivaccius* in hydro-

cis ad decendum fieri jubet. *Willisius* in motibus convulsivis stupendis fascinum ferè persuadentibus ultrà mensem, *Wedelius* ad unam vel alteram septimanam continuant. In continuationis hujus spem ceratum diadestannum s. sacrum Gal. à nonnullis applicatur; *Wedelius* miscet empl. vesicatorium cum empl. alb. cocti, s. sperm. ranar. anat. portione, quò defensorium simul parti parat, & fluxum ad unam vel alteram septimanam conservat. Eisdem emplastro vesicatorio alii pulverem cantharidum de novo superinspergunt, & loco priori reapponunt. Sed ne quid nimis. Rectius in alia, quàm vesicata parte, ob doloris exquisitissimi sensum, repetere vesicatoria jubemus, ut fluxus conservetur. Pro exiccatione ulcerisque clausione unguentum camphoratum, diapomph. emplastrum diapalmæ, ceratum de ceruss. &c. inserviunt, dolorisque acutiem aliquantulum mitigant, divinum tamen *Riverius* anodynum in oleo corticis viridis interioris sambuci promittit *obs. communic. à D. Pacheque 12.* Opium hujus gratiâ quidam adjiciunt, quo de *lessenius in chirurg.* nobis tamen superfluum videtur, quòd nec dolorem leniat, nec ad ulcera proficiat, add. *Thes. chiriatr. syll. 5. thes. 9. de fontic.*

X. Cæterùm quæstio incidit, an acetum, oxymel, fermentum & acida alia vesicatoriis ut communiter ita utiliter admisceantur? Negativam potissimi recentiorum tenent, quòd ab his acrimonia & volatile, quod tamen unicè in vesicantibus medicamentis operatur, figitur & ita operatio impeditur: vide decisionem apud *Wedelium l. c.* Nobis magis arrident, quæ his carent, quòd citius operentur; indeque hoc præprimis nomine emplastra *Gregor. Horstij l. 4. observat. medic. append. & Riverij lib. 1. prax. c. 1.* descripta & jam supra deprædicata, aliis præferimus; suumque in hoc consensum *Prosp. Martianus in Hipp.*

Hipp. largitur. An corrigentibus, semine ammeos, aut cardamomi semper & necessario opus sit? nec hoc asserere audemus cum *Wedelio l. c.*

XI. Locus pars omnis esse potest carnosus, superior, inferior, ab ulcere & tumore immunis, secundum *Claudianum*, sana & ægra, pro circumstantiarum tamen ratione, evacuationis simplicis, derivationis aut revulsionis, ut loquuntur, scopò, jam hæc jam illa præeminet. In specie *Galenus s. m. med. 13.* in capitis idiopathicis affectibus, caput ipsum & præcipue medium hujus verticem eligit, cui subscribunt *Aëtius tetrab. 1. s. 3. c. 181. L. Riverius c. 1. obs. med. 38.* qui contumacem capitis dolorem, totò capite rasò vesicatoriis quasi cucuphâ tectò, sublatum vidit; judicium nostrum videtis *loc. cit. de fonticul. thes. 16.* post aures in oculorum morbis valent, eademque mirum in modum, præcipue in suffusione & cæcitate ex nervorum optico- rum obstructione *M. Aurelius Severinus* in connexione maxillæ penes infimos auricularum lobos applicita apud *Balthas. Timæum l. 1. epist. med. 23.* & ab hoc edoctus *Timæus ipse l. c. epist. 27.* extollunt: rationem apud *Aut. cit.* habes. In epilepsiâ sympathica, parti, unde infelix aura assurgit, admoventur feliciter: pollicis ita manûs *Heinr. ab Heer obs. med. 23.* pedis *Z. Lusitanus l. c. hist. princ. med. 20. obs. 15.* labro *Douynettus l. 3. apol. c. 2.* imposuere: in soporosis affectibus *Riverius* scapulis admovent *l. 1. prax. c. 2.* ob tamen non satis commodam deligationem *Octaviano Roboretto l. c. c. 4.* magis in brachio bicipitis & deltoideis musculorum confinia, vitatis tendinosi & nervosi partibus, (quod tn. in mor- xæ usu attendendum non est secundum *Autor. supr. cit.*) placeant, quo etiam in loco in auditûs difficultate proficua singulari experimento didicimus. *I. Heurnius* palmæ manuum & carpo in asthmate apposuit *c. de asth.* Pectori *Adrianus à Mynsicht* in angina *arm. chin. s. 29. A. Cornelius Celsus* in la-
terum

terum doloribus commendant 4. *de medicin.* 6. Ventri *Al. Trallianus* in dolore colico l. c. abdomini in hydrope *Hieron. Capiuaccius prax. l. 3. c. 19.* injecerunt: ischio in dolore ischiatico l. *Scultetus armam. chir. p. 2. observ. 73. Benedictus Sylvaticus c. 3. consult. med. observ. 90.* ex voto alligarunt; in lienis morbis *Riolanus part. m. m. s. 3. de morb. lien. lien.* in passione hysterica internæ femoris parti *Willisus de morb. convuls. c. 10.* destinant; suræ hæc & malleolis in hydrope, sed leviter exulcerantia, indulget *Paschalius l. 1. m. m. c. 44.* à quibus tamen non sine causa potissimi abhærent ob difficilem curationem 6. *aph. 8. Rolsinccius* in curabili solùm hydrope, & ἐυαγγέλως admittit, in aliis gangrænæ periculum minatur *m. m. spec. comm. l. 4. s. 3. p. 3. c. ult.* Nos satiùs ab his abstinere penitus putamus cum *L. Riverio l. 6. pr. c. 6.* utut enim nonnullis profuerint, sequior tamen successus frequentior est, quàm felix. vide *L. Septatium l. 7. animadvers. & caut. 55. Fabr. Hildanum c. 1. obs. chir. 49. loh. Heurnium comm. in aph. cit. 1. Cesar. Claudinum consult. med. 31.* In febre tertianâ intermittente ad digitum annularem applicationem felicem experti sumus. In malignis, petechialibus, pestilentialibus, imò peste ipsa, hinc inde variis in partibus corporis locum merentur secundùm *Galen*i testimonium *s. m. m. 12.* cui cum experientiâ *Riverius meth. cur. febr. s. 3. c. 1. loh. Petr. Lotichius l. 1. observ. med. c. 7. obs. 15. loh. Dan. Horstius dec. epist. med. 10.* subscribunt, &c.

XII. *Tempus* applicationis post universalia communiter dicta aptissimum censetur; nec tamen aliud, quodcunque commodum visum fuerit, præsertim in morbis malignis, ubi in tempore ad hæc venire, rerum omnium primum est, excludendum, diurnum, nocturnum, ante & post prandium ex *Mercuriali*, quod præsentia materiæ morbificæ indicantis monstrat, pari-

terque continuationem jam longiorem jam breviorē determinat, quo de videantur superiora.

XIII. Superest *Usus* vesicatoriorum exponendus, qui ex dictis non potest non esse eximius. Cum enim occultus ignis hic non peccaminosos solum à sanguine diversos humores, morborum fomites, sive manifestis modum excedentes qualitatibus, sive occultis inquinamentis vitæ insidiantes, quos umbrâ suâ cuticula tegit, aut glandulosa intra se cutis fovet, sive à lymphaticis sub sanguinis circulo relictos, sive extrinsecus aut aliunde communicatos, evacuet, sed & stillantes continuo sub denu-
datis vasorum oscillis humiditates quasi emulgeat, imò ipsi se sanguini miscens vitiosam feri colluviem variæ indolis fundat, separet & ad effluxum per aperta oscula & cutis ulcuscula invitet, sanguinique ita molestam sarcinam exuat, inordinatum humorum motum & orgasmum impediat & corrigat, impactum altius & restagnantem subinde materiam, nec cathartici nec diuretici nec diaphoretici obedientem, locò moveat, meritò suò certa salutis anchora audit, ad quam tam in chronicis instantibus & præsentibus, quàm præceptis sæpè periculum minitanti-
bus morbis confugere, tutiusque non raro auxilium, quàm à cauteriis reliquis omnibus, citius & præsentius, quàm à fonticulis ipsis, petere & auferre possumus. Veterum de rei veritate & Recentiorum experimenta ubivis obvia sunt. Exoptatum in cutaneis affectibus aliisque in exteriori corporis habitu fixis vesicatoria remedium fieri, salfos, tartareos, lixiviosos, acidos, vitiosos humores alios hîc stagnantes educendo, ratio resque ipsa persuadent; pustulasque ita faciei vesicantibus ablatas *Paræus l. 25. de facult. medic. & compos. c. 33.* testatur, eandemque hæc opem scabiosis, arthriticis, podagricis, quorum serum & tophos nonnunquam eliciunt, autore *Heinr. Faschio disput. inaug.*
de

de podagr. spondent; præstans auxilium ischiatico dolori antiquo & confirmato conferunt secundum *Benedictum Sylvaticum c. 3. consult. 90. Ioh. Scultetum armament. chir. p. 2. observ. 73.* exostoses luis venereæ tollunt apud *Riverium c. 4. observ. 22. 29.* in anasarca profunt relictam à lymphaticis vasis in artubus materiam extrahendo, aut impactam in vasis ipsis & obstruentem fundendo & evocando. Laudat *Forestus l. 30. observ. 11. in schol.* in venenatorum animalium ictibus & morfibus, *Riverius* apum in specie puncturis ex voto applicuit *c. 4. observ. 14.* contra canis rabidi morsum *Heurnius* commendat *de morb. cap. c. 14.* Paria, si non majora, sanguini ipsi & consequenter corpori universo (tales enim sumus, qualis sanguis noster est) beneficia pollicentur, cujus intemperiem & cacochymiam corrigunt, heterogenea varior. morbor. semina auferunt, fermenta peregrina & *μιάσματα* fideliter exugunt, calorem naturalem sopitum, impedimentis ablatis, resuscitant & augent, nihilque ferè intactum intentatumq; relinquunt, quod in valetudinis nostræ bonum cedere potest. Capitis dolori proficua hæc cum aliis *Riverius* vidit *l. 1. prax. c. 16.* phrenitidi *Mercurialis* suadet *l. 5. prax. c. 15.* in vertigine laudem maximam mereri *Arnoldus de villanova* singulariter probat *l. 1. breviar. c. 20. addition.* lethargo *Septalius animadv. l. 6. §. 35.* commendat, soporosis affectibus *Riverius l. c. c. 4.* præscribit, in apoplexia secundum *Heinr. ab Heer observ. 21.* profunt, in epilepsia sive idiopathica sive sympathica, aliis remediis nequicquam proficientibus, ægrum sæpè ab insultu liberant, teste experientiâ; in paralyfi & motibus convulsivis auxilio sunt ex *Bened. Sylvatico c. 2. observat. 69.* fluxus nocivos avertunt ab auribus *Benedict. Sylvat. c. 2. consult.* oculis *Gregor. Horst. l. 2. observat. medic. 14. 19.* dentibus *Ioh. Steph. Strobelberger. de dent. podagr. f. 1. c. 31.* pulmonibus, unde tussientibus,

phthi

phthificis ipsis remedio non rarò esse solent *Willis l. c. de vesicat.* diarrhæam his curatam *Zacut. Lusitanus* testatur; pollutioni nocturnæ *Sylvaticus* ordinavit *c. 4. consult. 2.* in sterilitate *Ioh. Arnold. Friderici* auxilium hinc deducit. *disput. de hac.* his *Sylvaticus c. 4. consult. 25.* nimio mensium fluxui limites posuit, fluorem album *Fabr. Hildanus* exiccavit *c. 1. observ. chir. 41.* his febribus, præsertim malignis, militaribus, petechialibus laborantibus ad votum occurritur, *Autoribus cit. th. 11.* adstipulantibus; hinc ultimum, secundum nonnullos, in peste ipsa remedium petitur, referente nec improbante *Athanasio Kircherò de peste s. 3. cap. 4.* eadem *I. Michaël Februs* in morbilis probavit *de scorzoner. pag. 88.* An è nervorum finibus etiam aliquid furentur vesicatoria, quæritur? *Willisius* affirmativam tenet & spasmodicis hinc affectibus privatum auxilium destinat. Sed cum, unde humor ille, qui, *Anglorum* præcipuè decretò, per nervos fluit, scaturiat, quis, qualis, quantus, sit, adhuc sub iudice lis sit, ut pluribus apud *Andr. Deusingium tr. de hoc pecul. Thom. Bartholinum spicil. 1. de vas. lymph. c. 2.* & alios videre est, nobisque ille, si non planè nullus, suspectissimus tamen, usque dum plenius probetur, omninò sit, iisdem in præsentì nihil tribuere audemus, cum præsertim subsidium nervis hinc ex hypothesi veniens curaque spasmodicorum affectuum æquè facile, imò facilius, ab aliis jam dictis causis vasis-que accersì possint.

Tantum.

DEO sit Laus & Gloria